

eat ex minori tentatione, ut patet in eo qui vehementius tentatur circa conjugatam, et ex tali tentatione consentit, quam circa solutam, et etiam consentit, hic enim licet ex leviori tentatione peccet, non tamen ita graviter peccat, sicut qui circa conjugatam, licet majori tentatione impellatur, quæ de se poterat minuere peccatum in individuo, si non esset adjuncta illa circumstantia conjugatæ pro adultério, quæ est gravior deformitas secundum speciem.

XX. Ex quibus patet ad rationes dubitandi a principio. Ad primam enim dicimus probare, quod quotiescumque voluntas ex adjuncta circumstantia mala, sit corruptior in contemnenda lege divina, vel magis inclinata, et voluntaria in prosecutione actus, etiam intra speciem talis aggravatur, saltem in exercitio, et in individuo, ut ostensum est. Dicimus tamen, non semper ex circumstantia mala sequi talem aggravationem, imo aliquando pejor circumstantia alleviat in individuo, et non aggravat malitiam aliam, quæ sumitur ex objecto, scilicet quando illa pejor circumstantia inducit majorem tentationem, et facit peccare potius ex infirmitate, quam ex malitia, ut in exemplo adducto quando quis occidit aliquem ex tentatione furandi mille, et alius ex intentione furandi decem, aut alius sine ulla occasione furti. Quamvis si illud furtum non se habeat ut motivum alliciens, et tentans, sed ex habitu, et affectu furandi, non alleviat, sed aggravat. Nos autem dicimus, quod quando circumstantia mala potius vergit in tentationem, quam in corruptionem affectus, non aggravat, sed alleviat in individuo, eo quod peccata, quæ ex vehementiori tentatione fiuntj udicantur minus gravia in exercitio, et individua, cum sint ex

infirmitate, et passione potius quam ex malitia, ut docet S. Thomas infra quæst. LXXIII, art. VI. Si tamen ipsa passio, et concupiscentia foveatur, et accendatur a voluntate, ipsamque sequatur, potius auget vehementiam voluntatis, et rationem voluntarii, sicut etiam si circumstantia faciens majorem tentationem sit nata mutare speciem, ut de soluta in conjugatam, majorem pravitatem simpliciter inducit.

XXI. Ad confirmationem similiter patet ex dictis, quod species luxuriæ non solum trahuntur ad aliud genus peccati ex circumstantia adjuncta, quæ alterius speciei est, et secundum se, ad aliam speciem pertinere facit actum, sicut adultèrium ad injustitiam, sed etiam intra ipsum genus luxuriæ crescit libido, et corruptiorem facit luxuriam, magisque contemplativam Dei, et sic variat speciem illius, ut ex verbis S. Thomæ quæstione CLIV, supra citatis diximus.

XXII. Ad instantiam pro altera parte respondetur probare, quod non semper circumstantia adjuncta facit crescere malitiam intra propriam speciem actus, scilicet quoties non corrumpit magis affectum, sed potius majorem inducit tentationem, aut impulsam passionis, quo vergit peccatum illud in peccatum infirmitatis.

AN SIT ALIUS MODUS ADDENDI MALITIAM IN CIRCUMSTANTIIS PRÆTER MUTATIONEM SPECIEI VEL AGGRAVATIONEM INTRA EAMDEM SPECIEM?

XXIII. Tertio inquirens: An omnis circumstantia aggravet eandem speciem, vel mutet illam, ita quod circumstantia solum sit, vel specificativa, vel aggravativa, vel detur

alius modus dandi bonitatem, vel malitiam præter istos duos.

XXIV. Respondetur D. Thomam infra quæst. LXXIII, art. VII docere quod peccatum natum est aggravari per circumstantiam: «Sed hoc, inquit, contigit tripliciter. Uno quidem modo in quantum circumstantia transfert in aliud genus peccati, sicut peccatum fornicationis consistit in hoc, quod homo accedit ad non suam: si autem addatur hæc circumstantia, quod illa ad quam accedit sit alterius uxor transfertur jam in aliud genus peccati, scilicet in injustitiam, in quantum homo usurpat rem alterius, et secundum hoc adultèrium est gravius peccatum, quam fornicatio. Aliquando vero circumstantia non aggravat peccatum quasi trahens in aliud genus peccati, sed solum quia multiplicat rationem peccati, sicut si prodigus det quando non debet, et cui non debet, multiplicius peccat eodem genere peccati, quam si solum det cui non debet et ex hoc ipso peccatum fit gravius; sicut ægritudo est gravior, quæ plures partes corporis inficit. Tertio modo circumstantia, aggravat peccatum ex eo quod auget deformitatem provenientem ex alia circumstantia, sicut accipere alienum constituit peccatum furti: si autem addatur hæc circumstantia, ut multum accipiat de alieno, erit peccatum gravius, quamvis acciperet multum, vel parum de se non dicat rationem mali, vel boni.» Ita D. Thomas.

XXV. Ubi videtur præter modum aggravationis, et specificationis, alium tertium addere in danda malitia, vel bonitate, scilicet multiplicationis peccati. Et hoc non apparet quomodo verificatur, si quidem nec intra eandem speciem auget, vel minuit, nec aliam speciem constituit, difficultas etiam est in illo tertio modo aggravandi, quomodo di-

cat D. Thomas aggravari peccatum, quatenus una circumstantia auget deformitatem ex alia circumstantia provenientem. Nec enim hoc videtur verum, quia circumstantia aggravativa non auget, neque aggravat malitiam alterius circumstantiæ, sed malitiam ipsam specificam, et propriam actus, sicut in furto, aggravatio ex majori quantitate non aggravat malitiam circumstantiæ furti, sed ipsammet furti malitiam extendit, et auget in ratione furti, et intra ejus speciem.

XXVI. Dicendum nihilominus est, illud secundum genus, seu modum quo circumstantia aggravat peccatum revera pertinere ad circumstantias aggravantes, et non specificantes, quia totum illud quod auget, vel gravant est intra speciem propriam actus, et non in aliam speciem trahendo. Sed tamen dicitur aggravare per modum multiplicationis, quia concurrunt plures circumstantiæ malæ, et non una tantum augens malitiam. Et sic quia quælibet manet in ratione circumstantiæ, et non præbet aliam speciem distinctam, quælibet aggravat intra eandem speciem, et quia plures sunt, multiplicant rationes peccati, seu aggravationes in eadem specie. Et hoc ipsum pertinet ad majorem deformitatem peccati, quia plures circumstantias corrumpit, ita quod est distinctus modus aggravationis, quia fit per accumulationem, et quasi numerationem, seu pluralitatem deformitatum, non autem per intensionem, aut augmentum, unius et ejusdem, hoc autem non est extrahere circumstantiam a ratione circumstantiæ aggravantis, sed duos modos aggravantium circumstantiarum intra eandem speciem distinguere, alium per accumulationem, et plurium circumstantiarum corruptionem, alium per majorem deformitatem ejusdem,

quatenus magis eandem deformitatem auget. Nec tamen illæ plures circumstantiæ accumulatae sunt plures malitiæ, aut bonitates, solo numero differentes, sed etiam specificè accidentaliter, et tamquam diversi modi ejusdem actus mali, quia sunt diversæ circumstantiæ, et consequenter diversa accidentia talis actus, et quasi modificationes illius. Ex diversis autem accidentibus, seu modis qui sunt in eodem subjecto non sequitur, quod sint plura accidentia solo numero distincta, quia in sua linea accidentali diversam speciem habent accidentalem, et hoc sufficit ut non dicatur esse plura solo numero differentia in eodem subjecto, sicut in eodem subjecto inveniuntur plura accidentia individua specie diversa, ut color, et frigus, et figura, etc.

XXVII. Nec obstat, quod illæ circumstantiæ non dant speciem actui illi, nec trahunt in aliud genus, ut dicit D. Thomas et sic non videntur dare bonitates, vel malitias specie diversas, sed solo numero. Dicimus enim, quod circumstantiæ trahentes in aliud genus sunt illæ quæ posunt de se, et ratione sui constituere speciem essentialem, si non inveniuntur constitutam, et hoc modo non se habent illæ circumstantiæ, quia non possunt per se, et ex se dare speciem principalem, et primam, nec important specialem ordinem ad rationem, sed solum aliqua alia ratione præsupposita dant bonitatem aliquam, vel malitiam quasi modificativam prioris. Et sic dant bonitates, vel malitias specie distinctas quasi modificativas, non principales, et ad aliud genus trahentes. Illæ autem circumstantiæ, quæ ad aliud genus trahunt, verum est, quod aliquando dant actui speciem accidentalem, et non essentialem, sed hoc per accidens est, quia inveniuntur jam speciem constitu-

tam, de se enim sufficientem rationem habent ad constituendam primam speciem, et ideo quando superveniunt actui jam constituto in specie, trahunt ad aliud genus quod comparatione prioris speciei accidentaliter se habet, licet in se nova species malitiæ sit. Istæ enim species morales propter imperfectiorem suam modum possunt essentialiter se habere in actu, modo accidentaliter. Circumstantiæ autem de quibus loquitur D. Thomas quod multiplicant rationem peccati, sed non trahunt in aliud genus sunt solum modificantes speciem peccati intra idem genus, non per se speciem constituentes, et ad aliud genus trahentes; sed in ratione modi diversam habent speciem.

XXVIII. Ad secundam difficultatem dicimus, quod quando D. Thomas docet unam circumstantiam augere deformitatem provenientem ex alia circumstantia, ly ex alia circumstantia, sumitur generali modo pro conditione aliqua conveniente ipsi objecto, vel actui etiam entitative, et physice considerato, nam respectu actus considerati entitative, etiam id quod in morali linea essentialissimum est, sibi est accidentale, et hac ratione potest circumstantia vocari respectu physice entitatis generali nomine quidquid ad moralitatem pertinet, licet intra ipsam lineam moralem aliquid essentialiter se habeat, et aliquid accidentaliter et hoc accidentale circumstantia vocatur speciali modo, id est, adhuc intra ipsam lineam moralem, de quo videatur S. Thomas, quæst. II de malo, art. VI, ubi dicit: « Si consideremus hunc actum, qui est accipere pecuniam, non est de re ratione ejus, quod sit aliena, unde alienum se habet ad actum sic consideratum ut circumstantia, sed de ratione furti est, quod sit aliena, unde non est cir-

cumstantia furti. » Et hac etiam ratione dicit D. Thomas in hac quæstione XVIII, art. XI: « Quod contingit quandoque, quod circumstantia non respicit ordinem rationis in bono, vel malo, nisi præsupposita alia circumstantia a qua actus moralis habet speciem boni, vel mali, sicut tollere aliquid in magna quantitate, vel parva non respicit ordinem rationis in bono, vel malo, nisi præsupposita aliqua conditione per quam actus habeat malitiam, vel bonitatem, puta hoc quod est esse alienum, » ubi ly alienum vocat conditionem, quod prius vocaverat circumstantiam, sumens circumstantiam generaliter pro conditione.

CIRCUMSTANTIA DURATIONIS QUOMODO
AUGEAT BONITATEM, VEL MALITIAM.

XXIX. Quarto inquirens specialiter circa hanc circumstantiam durationis, quomodo augeat malitiam, vel bonitatem in actu. Et vis difficultatis in hoc consistit, quia in primo instanti, in quo incipit actus correspondet illi aliqua bonitas, vel malitia ex eo quod durat, seu existit in illo instanti; per continuationem autem additur ex ipsa libera perseverantia, et duratione plus bonitatis, et malitiæ, quam ex interruptione. Constat autem, quod si in quolibet instanti unius horæ interrumpetur actus, et inciperet novus actus, quod cuilibet actui, et cuilibet instanti corresponderet distincta bonitas, vel malitia, et tunc in fine horæ essent infinitæ bonitates, quia essent infinita instantia, et infiniti actus distincti. Ergo si continuetur actus libere per totam horam sine interruptione, non minorem infinitatem, seu cumulum bonitatis, aut malitiæ habebit. Pate consequentia,

quia majoris bonitatis, et meriti est continuare actum bonum, quam interrumpere, quia qui continuat, omnia illa instantia horæ complectitur, et adhuc plures partes, quas alter interrumpit, et discontinuat. Ergo non minorem cumulum bonitatis, et meriti habet qui continuat omnia instantia horæ, quam qui omnibus discontinuat, et divisus in quolibet eliceret actum ejusdem bonitatis.

XXX. Propter hoc variæ ortæ sunt sententiæ circa explicationem hujus circumstantiæ durationis, et quando, quomodo videlicet bonitatem, vel malitiam augere possit. Et quidam conati sunt assignare differentiam inter primum instans in quo incipit actus, et sequentia in quibus continuatur. Et dixerunt continuationem durationis non augere malitiam, vel bonitatem nisi addatur nova intentio, vel difficultas ex parte operantis. Sed hoc non potest substineri, quia etiam non addita nova difficultate, vel intentione, nec crescente intensione, sed eadem persistente, melius est perseverare in bono, illudque continuare, quam interrumpere, et non perseverare, ut ratio dubitandi ostendit.

XXXI. Alii vero dixerunt primum instans non pertinere ad circumstantiam operis, sed ad substantiam, reliquam vero durationem pertinere ad circumstantiam, et ad bonitatem accidentalem tantum. Sed dato quod hoc esset verum, difficultas posita per hanc responsionem non evacuatur, quia etiam post primum instans, quo actus incipit, restant infinita instantia usque ad finem horæ vel alterius durationis nam ubi sunt infinita instantia, dempto uno non redduntur finita, sed infinita restant. De illis ergo restantibus, difficultas eadem manet, quomodo augeatur bonitas, vel malitia continuata duratione actus per omnia

illa instantia. Et præterea urget semper illa ratio, quia si duratio prima pertinet ad substantiam actus non ad circumstantiam, continuatio vero post primum instans pertinet ad circumstantiam, ideoque semper est minor bonitas, et meritum in continuatione, quam in prima productione; urget inquam ratio, quia sic melius, et majoris meriti essentialis erit discontinuare actus in una hora, verbi gratia per quælibet instantia, quam continuare, quia illa discontinuatio facit plures esse productiones actuum, et consequenter crescere substantialem bonitatem majorem, non accidentalem, quæ est circumstantia continuationis; plus ergo merebitur qui discontinuat actus, quam qui continuat in eodem tempore, cum tamen ille qui continuat exercent actum toto tempore, quo alter discontinuat, et addat plus temporis dum continuat, quo alter vacat. Hoc tamen consequens devorant aliqui, ut Granados 2-2, tract. III, disp. VIII, sect. IV; Suarez relect. de reviviscentia meritorum, disp. I, sect. III, nuro XLII.

XXXII. An vero prima illa duratio in primo instanti pertineat ad substantiam actus; an vero ad circumstantiam, dicimus quod licet prima productio pertineat ad existentiam physicam actus, et pro hac parte non videatur esse circumstantia, sed substantia illius in existendo, tamen si consideretur morali modo, quatenus illa duratio libere coarctatur, et restringitur ad unum instans, cum posset plus durare si vellet, sic est circumstantia diminuens, quatenus minus facit de actu, et minus durat libere, cum posset plus durare. Et hoc non pertinet ad speciem ipsam actus, quia species actus supponitur durationi in quacumque mensura sumatur, sive instantanea sit, sive multi temporis. Sic ergo

duratio sola primi instantis dupliciter sumi potest, vel absolute in se, vel comparative ad mensuram moralem, quia posset plus durare, et non vult quod duret. Primo modo pertinet ad existentiam ipsam physicam actus, et sic non est aliquid circumstans moraliter, sed ad omnem moralitatem præsuppositum: secundo modo est circumstantia moralis prout est duratio libere coarctata ad unum tantum instans.

XXXIII. Alii existimant actum necessario durare aliquantulum post primum instans, et ideo non aggravari malitiam, vel bonitatem per illam continuationem post primum instans, quia deest libertas, cum existat necessaria actus aliquantulum post tale instans, sive tempore aliquo determinato, sive indeterminato. Et hoc ex alia ratione tenet cum Gregorio pater Vazquez 1-2, disp. LIV, cap. III, eo quod actus immanens incipit per primum esse, et desinit per primum non esse, inter quæ duo instantia debet cadere tempus medium. Et sequitur Granados 2-2, contrav. III, disp. VIII, sect. III, non propter rationem Vazquez, quia non repugnat desinere actum immanentem per ultimum esse; et licet desineret per primum non esse, non sequitur quod duraret per determinatam durationem immediate post primum instans, sed per indeterminatam. Ex eo vero movetur Granados, quia alias posset homo tempore finito elicere infinitos actus, quia sunt infinita instantia in quolibet tempore. Sed hoc, si aliquid probat, etiam probat nullo tempore dari libertatem, quia in omni parte temporis sunt infinita instantia, et sic si est liber, posset infinitos actus habere. Illa ergo instantia solum sunt infinita in potentia, et synkategorematicæ, seu divisive, non autem collectivæ, et kategorematicæ,

sicque non possunt esse infiniti actus de facto.

XXXIV. Quare illud primum de defectu libertatis pro aliquo tempore, et in se falsum est, et eo dato, non evacuatur difficultas posita. Est in se falsum, quia ut supponimus, et isti auctores admittunt, in primo instanti, quo elicitur actus, libertatem habet, et libere egreditur (si enim liber non esset, necessarius esset, et sic non haberet bonitatem, aut malitiam moralem) sed immediate post primum instans nullum principium libertatis tollitur; ergo immediate post adhuc manet libertas. Consequentia patet, quia libertas tolli non potest, nisi aliquo principio libertatis destructo: stantibus enim omnibus principiis libertatis, stare necesse est libertatem ipsam. Minor autem probatur, quia immediate post primum actum, neque mutatur, dictamen, et indifferentia iudicii, aut ejus advertentia, neque potestas voluntatis mutatur, aut tollitur, ut juxta indifferentiam iudicii non operetur indifferenter, sicut ipsa velit, eadem enim modo voluntas, seu potestas ejus se habet immediate post primum instans, atque in ipso primo instanti, si iudicium non variatur. Quod vero non varietur dictamen, et advertentia, atque indifferentia iudicii immediate post primum instans, supponimus quia si variaretur actus cessaret qui in primo instanti eliciebatur, essetque alius actus, et sic ille primus actus, qui in primo instanti elicitur non debet necessario durare immediate post, si quidem immediate post non durat dictamen, et indifferentia iudicii, sed cessat, ergo neque actus qui essentialiter dependet ab illo dictamine durat immediate post; aut saltem si dictamen, et actus iudicii indifferentis non durat necessario immediate post, cur ipse actus

liber necessario durat immediate post?

XXXV. Quod autem eo fundamento dato non evacuetur posita difficultas constat, quia illa necessaria duratio actus, si datur, est per brevissimum tempus, nos enim experimur libere elicere actum, et continuare si tempore sensibili, et notabili duret. Ponamus ergo actum durare necessario immediate post primum instans tempore brevissimo, et insensibili, verbi gratia pronuntiatione unius litteræ, et postea continuari libere una hora, vel duabus. In illis horis sunt infinita instantia, et in omnibus durat libertas; ergo restat difficultas supra posita, quod in quolibet instanti est bonitas si actus interrumpatur, et cuilibet instanti diversus actus correspondeat, et si continuetur est major bonitas, quam si interrumpatur; ergo si interruptis et divisis omnibus instantibus esset infinita bonitas, illis continuatis major bonitas erit. Supposito ergo quod datur libertas pro quolibet instanti, et quolibet parte temporis, potestque operari vel non operari, semper urget difficultas, quomodo ratione continuationis crescat bonitas et meritum, et non sit infinitum, cum sint instantia et partes proportionales infinitæ, et quælibet continuatio etiam indesignata, et proportionalis sit meritoria, quia libera, et sic suum præmium habeat. Nec potest dici, quod prima productio actus semper est melior, quia pertinet ad substantiam actus, continuatio vero quia circumstantia est, accidentalem et minorem bonitatem, et meritum habet. Hoc enim supra rejectum est, et statim amplius rejicietur. Et sufficit nobis in illa accidentali bonitate inquirere, an sit infinita ratione infinitorum instantium.

XXXVI. Alii ergo dicunt circumstantiam durationis non computari